

si Sacerdotem se nominet, scrutare: non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est: circa majora periculum vertitur: non enim das, sed accipis. Si vero pro nutrimento postulat, nihil in his examinet. Inquire, quomodo Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat. Si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset. Fortassis enim non putans eos Angelos esse, cum reliquis & hos repulisset: sed quoniam omnes recipiebat, suscipit & Angelos. Non enim ex vita eorum, quos accipis, mercedem tibi retribuitur est Deus; sed ex voluntate tua, ex liberalitate, ex honorificentia multa, ex misericordia, ex bonitate.

GRATIAN. 3. Pars. Sed licet ipsa convivia despicenda non sint; non tamen in Ecclesiis celebrari, nec Clericos ad ea convocatos ex eis partes sibi tollere oportet. Unde

III. IN LAODICENSI CONCILIO, c. 27. [c. an. 320. in Phrygia Pacatiana.]

Clerici ad agapem vocati partes sibi non tollant. Non oportet Ministros altaris, vel quoslibet Clericos ad agapem vocatos, partes tollere propter injuriam, quae ex hac occasione Ecclesiastico ordini possit deputari. CORRE ROM. a Clericos. In Concilio Graeco, & prisca etiam versione additur, vel Laicos. PROPTER INJURIAM. Graecus est: δια τῆς ὀργῆς τῆς ἐκείνου ἀποδοῦναι τῆς ἐκείνου τιμῆς, id est, ad quod Ecclesiastico ordini iniuratur contumelia. PITH. Vel quoslibet Clericos, aut etiam Laicos; quia usus est Gratianus.

IV. ITEM EX EODEM, c. 28. [c. an. 320. ibid.] In locis Deo sacratis, nec comedere, nec accubitus sternere liceat.

Non oportet in Basilicis, seu in Ecclesiis agapem facere, & intus a manducare, vel accubitus sternere. CORRE ROM. a Et intus. Graecus est, ἐν τῷ οἴκῳ τῆς οἰκίας, quod Dionysius vertit, nec intra Domum Dei, sed apud Basilicam abest vox, Dei. PITH. Basilicis. Dominicus. Rufina. prisca versio, & antiquus Codex, quomodo & Dionysius vertit: Non oportet in Dominicis, id est, in Domini Ecclesiis convivia, quae vocantur Agapae, fieri.

V. ITEM EX CONCILIO CARTHAGINENSIS III. c. 30. [an. 397. in Africa.]

Nisi necessitate coacti Clerici in Ecclesia non convivunt. Nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia convivunt, nisi forte transientes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiusmodi conviviis, quantum potest fieri, prohibeantur. PITH. Hospitiorum. Cod. meus: hospitio. Reficiantur. V. C. reficiant.

VI. ITEM EX DICTIS beati Benedicti Abbat. [c. an. 529. in Italia.] De eodem. P A L E A.

Oratorium hoc sit, quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur, vel condatur, quam quod Divinis ministeriis conveniat.

VII. ITEM AUGUSTINUS Epist. 109. de Regula Monachorum. [c. an. 423. in Africa.] De eodem.

In Oratorio prae ter orandi, & psallendi cultum penitus nihil agatur; ut nomini huic & opera jugiter impensa concordent.

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI PUDICI SINT, ET DOCTORES. DISTINCTIO XLIII.

PUDICUS quoque debet esse Sacerdos, ut & moribus, & verbis pudorem indefinenter exhibeat. Unde in Cantibus Cantorum gene sponse, id est, Praedicatoris, turtur comparatur. §. I. Debet etiam gratiam docendi habere; quia, ut Hieronymus ait: [Innocens, & abique sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, & baculo a Pastorem, lupi sunt arcendi.] In ipsa autem doctrina discretum oportet esse Rectorem, ne aut tacenda proferat, aut proferenda taceat. Unde ait CORRE ROM. a Baculo. In Epistola B. Hieronymi legitur, baculoque Pastoris superum rabies deterrenda est. Sed Glossa ordinaria cum Gratiano concordat.

I. GREGORIUS par. 2. sui Pastoralis, c. 4. [an. 590. Romae.] De discretione praedicationis, & silentii.

Sic Rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeat. Nam, sicut incauta locutio in errore pertrahit, ita indisceritum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sapienter namque Rectores improvidi humanam amittere gratiam

formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & juxta Veritatis vocem nequaquam jam gregis custodiae, Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: Canes muti, non valentes latrare. Hinc rursus queritur, dicens: Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praesidio in die Domini. Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione gregis, voce libera, huius mundi potestatis contraire. Et in die Domini in praesidio stare, est pravis decertantibus ex iustitia amore resistere. Pastorem enim recta timuisse dicere, quod est aliud, quam tacendo terga praebuisse? quod nimirum si pro grege se obicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursus delinquenti populo dicitur: Propheta tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam provocarent. Propheta quippe in Sacro eloquio nonnumquam Doctores vocantur, qui dum fugitiva esse praesentia indicant, quae sunt ventura manifestant: quos Divinus sermo falsa videtur redarguit; quia dum culpas corrigere metuunt, incalsum delinquentibus promissa securitate blandiuntur: qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiant: quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe aperiens est sermo correctionis; quia increpatio culpam detegit, quam saepe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait: Ut potens sit in doctrina sana exhortari; & eos, qui contradicunt, redarguere. Hinc per Malachiam dicitur: Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & Legem requirunt ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. Hinc per Esaiam Dominus admonet, dicens: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Praeconis quippe officium suscipit, quilibet ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicii, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo, si praedicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est Praeco tuus? Hinc est enim, quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus Sanctus inleclit; quia nimirum, quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moyses praecipit, ut tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet praedicationis voces habeat, ne superni Inspectorum iudicium ex silentio offendat; scriptum quippe est: ut audiatur sonitus, quando ingrediatur, vel egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens, vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur; quia iram contra se occulti Judicis exigit, si sine praedicationis sonitu incidit. Aptè autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inferna. Vestimenta enim Sacerdotis quid aliud, quam recta opera debemus accipere? Propheeta celsante, qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitia. Vestimentis itaque illius tintinnabula inherere, ut vite viam cum lingua sonitu ipsa quoque bona opera Sacerdotis element. Sed cum Rector se ad loquendum praeparat, sub quanto cauteque studio loquatur, attendat, ne si inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere corda Auditorum feriatur: & cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscondat. Hinc namque Veritas dicit: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos. Per sal quippe, verbi sapientia designatur. Qui ergo loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio Auditorium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hinc in Sacerdotis veste juxta Divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punice, uno exterius cortice multa interius granula muniuntur; sic innumeris sanctae Ecclesiae populus unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat; hoc, quod jam praemisimus, per semetipsam Veritas discipulis clamat: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos: ac si figuratè per habitum Sacerdotis dicat; mala punica tintinnabulis jungite, ut per omne, quod dicitis, unitatem fidei cauta observatione teneatis. §. I. Providendum quoque est sollicita intentione Rectoribus, ut ab eis non solum prava nullo modo, sed ne recta quidem nimie & inordinatè proferantur: quia saepe dicitur virtus perditur, cum apud corda Auditorum, loquacitatis incauta importunitate levigatur; & autorem suum hac eadem loquacitas inquinat, quae servire Auditoribus ad usum profectus ignorat. Unde bene per Moysen dicitur: Vir, qui fluxum seminis paritit, immundus est. In mente quippe Auditorium, semen securae cogitationis est qualitas audita locutionis; quia dum per aures sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Unde & ab huius mundi Sapientibus Praedicator egregius feminiverbis est vocatus. Qui ergo fluxum seminis paritit, immundus asseritur; quia multiloquio subditus, ex eo se inquinat: quod si ordinatè promeret, prolem recte cogitationis edere in Auditorium corda potuisset: dumque incautus per loquacitatem defluit, non ad usum generis, sed ad immundiciam semen effundit. Unde Paulus quoque, cum Discipulum de instantia praedicationis admoneret, dixit: Testificor coram Deo, & Christo Jesu, qui iudicaturus est vivos, & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus, praedica verbum, iuxta opportunitatem, dicitur, importune, praemisit

praemisit, opportunitè; quia scilicet apud Auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas importunitatem nescit.

II. ITEM CLEMENS I. Epist. 7. in extremo. [c. an. 68. Romae ad omnes Episcopos &c.] Porcis & canibus Sacra non sint committenda.

2. Pars. Mandatis habemus, ut venientes ad civitatem discamus prius, quis in ea dignus sit, ut apud eum cibum sumamus; quanta magis nosse convenit, quis, qualis sit is, cui immortalitatis verba credenda sunt? Solliciti enim, & valde solliciti esse debemus, ne margaritas nostras mitamus ante porcos. Sed & ob alias causas utile est viri huius habere me notitiam. Si enim sciam, quia in his, de quibus non potest dubitari, quod bona sint, emendatus est, & inculpabilis; hoc est, si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis, & humanus (quae utique bona esse nullus ambigit) tunc conqueus videbitur, ut ei, qui obiectus bona virtutum, etiam quod deest fidei, & scientiae, conferatur; & in quibus maculari ejus vita videtur, quae est in reliquis probabilis, emendetur. Si vero in his, quae palam sunt, peccatis involutus permanet, & inquinatus; non me oportet ei aliquid de fecretoriis, & remotis Divinae scientiae proloqui; sed magis protestari, & convenire eum, ut peccare desinat, & actus suos a vitis emendet. Quod si ingesserit se, & provocaverit nos dicere, quae cum minus recte agerent non oportet audire; prudenter eum debemus eludere. Nam nihil omnino responderem, Auditorium causa utile non videtur; ne forte existimem nos responsum penuria declinare certamen; & fides eorum ledatur non intelligentium propositum nostrum.

III. ITEM ANACLETUS, Epist. 1. omnibus Episcopis. [c. an. 102. Romae.] Verba praedicationis persecutoribus suis Praelati non subtrahant.

3. Pars. Scimus autem multos ob id infestare Doctores, ut eos perdant, & placita propria voluntatis adimpleant. Non propterea tamen Doctores (inquantum vires suppetunt) ad recta emulatio, & bona intentione recedere debent; scientes, quia Beati dicit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

IV. ITEM GREGORIUS I. Venantio, lib. 1. Epist. 33. [an. 591. Romae in Italiam.] Non est mundus a sanguine subjectorum, qui Dei consilium illis non amittunt.

4. Pars. Ephesius Paulus dicit: Mundus sicut manus mea a sanguine omnium vestrian: non enim subterfugi, quominus annuntialem omne consilium Dei vobis. Mundus ergo a sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annuntiare noluisse; quia cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit.

V. ITEM NICOLAUS I. ad Michaelem Imperatorem in Epistola, cujus initium est: Propepheta annus. [an. 865. Romae Constantino-politum.]

Eterna damnationis poenam incurrit Praedicator, qui semen Divini verbi non spargit. Dispensatio est nobis caelestis feminis injuncta: va si non sperterimus: va si tacerimus. Quod cum electionis Vas formidet, & clamet; quanto magis cuilibet exiguo metuendum est? Proinde, sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus siluile pro Divinitatis cultu, & Ecclesiae correctione quod congruit; ita his (quod absit) non mediocriter periculum est, qui cum debeant parere, despiciunt.

GRATIAN. 3. Pars. Pariter quoque observare debet Sacerdos, ne indignis, & non intelligentibus secreta mysteria, sua praedicatione reserare incipiat. Qui enim ea docet, quae ab Auditoribus non valent intelligi; non ad eorum utilitatem, sed ad sui ostentationem facit. Unde in expositione, Beatus immaculati, dicitur: [Vltimum est secreta mysteria vulgarè indignis; quod sit vel loquacitate incauta, dum sine fecundis alio, & iudicio volat irrevocabile verbum; vel adulatione, ut ei placeat, cui secreta revelat; vel jactatione scientiae, ut intelligi, quanta debeat esse discretio in praedicatione Sacerdotis; quia si forte caruerit, tamquam torto naso, Sacerdotalis officii iudicatur indignus.]

EPISCOPI ET ECCLESIASTICI NON SINT VIOLENTI. DISTINCTIO XLIV.

GRATIAN. 3. Pars. Cum autem violentus esse prohibetur, gula intemperantiam nequaquam habere permittitur. Neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur. Utrumque enim inter operum tenebrarum Apostolus connumerat scribens Romanis: Non in comestationibus, & ebrietatibus. Ventris namque ingulvis ad luxuriam provocat facile, & omne opus bonum dissolvit. Unde venter & genitalia sibi semper vicina sunt: ut ex vicinitate membrorum confederatio intelligatur vitiorum.] Hinc

etiam Nabuzardan Princeps Coquorum muros Hierusalem destruxisse legitur: quia venter, cui multitudo Coquorum deseruit, aedificia virtutum ad solum redigit. Sacerdos itaque de altari vivere, non luxuriari quatur, ut ait Hieronymus: [Tibi o Sacerdos de altario vivere, non luxuriari permittitur.] §. I. Sunt autem comestationes non solum Sacerdotibus, sed etiam Laicis noxiae: qui festivos, & solennes dies non aliter se dignè celebrare putant, nisi comestationibus deserviant. Unde scribit

I. AUGUSTINUS ad Aurelium Episc. Epist. 64. [c. an. 392. in Africa.] Non est vacandum comestationibus, & ebrietatibus.

Comestationes, & ebrietates ita concessae, & licite putantur, ut in honorem etiam Beatorum Martyrum non solum per solennes dies quoad ipsum quis non lugendum videat, qui hac non carnis oculis inspicit? sed etiam quotidie celebrentur. Post pauca: Non ergo asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperio sita tolluntur: magis docendo, quam iubendo; magis mendo, quam minando. Sic enim agendum est cum multitudo peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur; cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram; ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur; Ita prius movebuntur spiritales, aut spiritalibus proximis; quorum auctoritate, & lenissimis, quidem, sed instantissimis admonitionibus cetera multitudo frangatur.

II. ITEM EX CONCILIO LAODICENSI, c. 24. [c. an. 320. in Phrygia Pacatiana.] Nulli Clericorum, aut continentium licet tabernas intrare.

Non oportet Clericos fervientes a Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes usque ad Ministros, aut Lectores, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut Plalmistas, aut etiam eos, qui in proposito continentium sunt, tabernas intrare. CORRE ROM. a Clericos fervientes. Graecus est, ἰσχυρούς, quod Dionysius vertit, sacro ministerio deditos; quam verionem Concilium Aquilgranense, Burchardus, & Ivo attulerunt.

Tabernas. Sequebatur in impressis, nisi causa necessitatis: quae sunt expuncta, quia neque in plerisque manuscriptis, neque in Burchardo, & Ivo, neque in ipso Concilio Laodicensi, aut Aquilgranensi (ubi c. 60. hoc idem repetitur) leguntur: videntur tamen accepta ex can. Apost. 54.

PITH. Clericos. V. C. altari. Omnes. V. C. bonis.

III. ITEM EX SEXTA SYNODO, c. 9. [an. 692. Constantinopoli.] Deponatur Clericus, qui tabernam, aut ergasterium habere voluerit.

Nulli Clerico licet tabernam, aut ergasterium habere. Si enim huiusmodi, tabernam ingredi prohibetur; quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit; aut cesset, aut deponatur. CORRE ROM. a Tabernam, aut ergasterium. Graecus est: κερταρικὸν ἰσχυρίσθω, id est, carpentariam tabernam.

IV. ITEM IN CONCILIO CARTHAGINENSIS III. c. 27. [an. 397. in Africa.] Nisi necessitate compelli Clerici tabernas non ingrediantur.

Clerici, edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compelli.

V. ITEM GREGORIUS I. Natali Episcopo, lib. 2. Reg. indict. 10. Epist. 14. [an. 592. Romae in Dalmatiam.] Corripendus est Episcopus, qui conviviis occupatur.

MULTI ab urbe tua venientibus, Frater charissime, didici, pastore cura derelicta, solis te conviviis occupatum: quae audita non credidem, nisi hac actionum tuarum experientis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studes, nequaquam exhortationibus invigiles, sed ipsum quoque usum Ecclesiastici ordinis ignores; hoc est in testimonium, quod eis, sub quibus es positus, servare reverentiam nescis.

VI. ITEM ad eundem, lib. 2. Epist. 37. [an. 592. Romae in Dalmatiam.] De eodem.

Convivia, quae ex intentione impendendae charitatis sunt, rectè vestrae Fratemitatis in suis Epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur; nullus ex irrisione reprehenditur; nec in eis inanes secularium negotiorum fabulae, sed verba Sacra lectionis audiuntur: cum non plus, quam necesse est, servitur corpori; sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercenda virtutis habeatur. Hac itaque si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium, fateor, magistri estis.